
# DE DIAGNOSI MORBORUM GENU.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXIX. M. MARTII A. MDCCCXLVIII
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

**CAROLUS HARENBERG**
POMERANUS.

**OPPONENTIBUS:**
C. PLAUTZ, MED. ET CHIR. CAND.
O. NEUBAUR, MED. ET CHIR. DD.
F. FAENGLER, MED. ET CHIR. DD.

**BEROLINI**
TYPIS GUSTAVI SCHADE.



AVUNCULO

OPTIMO, DILECTISSIMO

F. STOPPEL

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Morbi articuli genu majorem praebent varietatem symptomatum, quam morbi aliorum articulorum suntque vulgo vehementiores, graviores difficiliusque curantur; quamobrem in cura diligentia maxima est adhibenda; sensibilitas enim articuli genu est tanta, ut laesiones externae, exiguae illae quidem, periculosissimos habere possint effectus. Ut autem methodum curandi aptam singulis morbis articuli genu adhibeamus diagnosin accurate ponamus necesse est.

Errores quidem, lector benevole, qui in hac dissertatiuncula tibi occurrant, benigne excuses, quaeso, in memoriam revocans, hocce primum esse tironis in arte nostra opusculum.

*Arthromeningitis* (*ἄρθρον*, articulus, *μῆνιγξ* membrana) significat inflammationem, quae sedem habet in membranae telae cellulosae, aut synoviali, aut ligamentis, aut cartilaginibus, aut periosteo. De-

cursus ejus aetate recentiore diligenter observatus et diagnosticis symptomatibus a similibus morbis accurate distinctus est.

*Symptomata.* Inflammatio ligamentorum dolore oritur plus minusve vehemente, qui pressione et motu auctus cumque caloris sensu in parte affecta conjunctus est, mox intumescentia elastica, tensa, non fixa, splendens atque in vehementiori inflammationis gradu rubra et contactu valde dolens. Dolores extenduntur ad tendinum cursum atque in partem membri, quod interdum intumescit. Semper ad vehementiorem inflammationis gradum febris accedit.

Inflammatio ligamentorum chronica originem ducit vel ab acuta, vel paulatim oritur cum exiguo dolore, qui modo pressione motuque cognoscitur; porro cum intumescentia molli, elastica, non colorata, quae interdum, ut dolor, in singulis partibus est; maxime autem membrum totum occupat atque aucta splendet, cum varicibus permixta. Tumore aucto demacescit membrum, curvatur in articulo atque omnis flexio propter ligamentorum et telae cellulosae crassitudinem impossibilis est; aeger gravitatis, maciei, caloris sensum in membro toto habet, interdum dolores sunt vehementiores. — Hae liga-

mentorum inflammationes relinquunt saepe rigiditatem; in vehementiori gradu sub finem exsudatio oritur, in mediocri concrescunt ligamenta inter se et ancylosis saepe sequitur; interdum perforat exsudatio fibrillas ligamentorum, tumor albus oritur, Hydrarthrus etiam, imo Pyarthrus apparet.

Inflammatio ligamentorum est non confundenda cum rheumatismo articulorum, qui tantum irritatio, nullo modo inflammatio est; in hac modo apparet intumescentia, illi autem deficit; praeterea articulus rheumatismo affectus potest moveri, quamquam dolores non desunt, et in Arthromeningitidem, quae nequit negari, transire.

Oedema rheumaticum vel exsudatio lymphatica distinguitur ab inflammatione, ut apud oedema articulus moveri et tumescentia, quae est mollior neque elastica, modo resolvi possit.

In *Phlegmone* circumscripta acuta tumor definitur una articuli parte, neque excelsus neque elasticus, sed calidus est modoque rubescit.

Cum inflammatione membranae synovialis ejusque exitu in abscessum et Hydrarthrum non confundenda est. Quum vehementes, obtusi, flagrantes dolores sint comites, tumor autem minime existat, qui, si adesset, fluctuatio etiam vel major vel minor

nunquam deesset, nec ex finibus capsulae articuli excederet, dolores una vel majores vel minores adsunt nec motus impeditus est; crus perfecte extendi potest.

*Inflammatio membranae synovialis* plerumque chronicum habet decursum; a dolore incipit modo articulum totum corripiente, modo fixo, usque ad octavum vel decimum morbi diem maximum vehementiae gradum attingente. Intumescentia oritur partim augmento voluminis ipsius membranae proximaeque telae cellulosae, partim autem, id quod summi momenti est, aucta secretione et accumulatione synoviae. In articulo affecto fluctuatio reperitur, quia membrana synovialis aut crassescit, aut in latus ejus internum et externum lympha effusa est, quamobrem etiam motus articuli altiore in gradu impeditus est. — Intumescentia forma est varia secundum articulos varios. Secundum Brodie in genu articulo anterior et inferior pars femoris sub musculis extensoribus, ubi tela cellulosa inter hos musculos et os sita est, intumescit; item intumescentia inter ligamentum patellae et ligamenta lateralia invenitur. Humor in articuli cavo collectus facit, ut massa adiposa ad hanc regionem, ubi partium externarum resistentia est minima, compellatur.

— Inflammatio ubi secessit, humor resorbetur atque articulus formam naturalem mobilitatemque crebro accipit; plerumque autem remanet rigiditas et intumescentia. Praeter haec morbi symptomata plus minusve vehemens existit febris symptomatica, quae habet characterem inflammatorium.

Inflammatio membranae synovialis minime cum rheumatismo articulorum et cum inflammatione ceterarum partium articuli ejusque exitu commutanda est; signum gravissimum est dolor profundus, obtusus, et mordens, qui motu augetur. Si tumor et fluctuatio exstat, aut membrana fibrosa inflammata est, aut membranae synovialis inflammatio jam in suppurationem et Hydrarthrum transiit.

Inflammationis atque ulcerationis sedes primaria potest esse etiam in articuli cartilaginibus, quae hinc extenditur in alias articuli partes.

Initio morbi aeger sentit dolorem exiguum et praetereuntem, articuli motu auctum, sed quiete disparentem, paulatim continuum et progredientem ab articulo in os totum, praecipue in latere interno tibiae capitis sedentem. Post longius tempus intumescit articulus cum inflammatione externa levi, intumescentia est exigua, non fluctuans, definitam articuli formam habens.

Diagnosis ab illa inflammationis membranae synovialis discrepat, quia in ista initio dolor est exiguus, paulatim vehemens, in hac vice versa. Alterum inflammationis cartilaginum proprium symptoma hoc est, ut dolor primo tempore sine ulla intumescentia adsit, tum augmento doloris accedat exigua intumescentia, quae naturalem habet articuli formam.

*Pyarthron s. Arthropyosis* (*ἄρϑρον*, articulatio et *πύωσις*, suppuratio, abscessus articuli, Gelenkeiterung, Gelenkabscefs) significat suppurationem in cavo articuli cujusdam, quae originem ducit ex locali, aut universali morbo, et symptomatibus suis totoque decursu differt ab aliis suppurationibus in articuli cavo. — Arthropyosis est morbus aut idiopathicus, aut symptomaticus. Animadvertimus interdum hunc morbum ex causa rheumatica ortum, saepe vero metastases ad articulos cernuntur, denique gignitur laesionibus mechanicis, contusione, plaga, vulneribus in articulum penetrantibus et majoribus et minoribus, id quod Boyer post punctionem, quam ad Hydrarthrum genu sanandum fecerat, vidit. Quibus in casibus tumescit articulus affectus, aegroti de magna tensione et pulsante dolore queruntur, membrum dimidium in flexione, dimidium in extensione habent, ut ligamenta laxentur, omnis

motus articuli affecti valde auget dolorem; integumenta cutanea colorem exhibent naturalem, interdum vero inflammatione rubescunt; febris vehemens cum pulsu frequente, parvo in hoc statu exstat; deliria raro desunt, quae aegrotum detrudunt in conditionem miserrimam, imo lethalem. Praecipue animadvertimus magnam laesionem functionis organorum digerentium, nonnullique, si genu articulus sedem habet morbi, se dolorificum in ventriculi regione sensum observasse dicunt. Quae res omnes non depelluntur quiete, methodo antiphlogistica, sed abscessus formatur horripilatione; ligamenta capsularia extenduntur et in affecto genu articulo tollitur patella, quae fit mobilior, et fluctuatio in latere utroque cognosci potest. — Suppuratione formata febris hecticae speciem inducit; functio semper est sublata. Aegrotus minimo motu dolorem vehementissimum sentit, quia cariosis ossium finibus molles partes teruntur; abscessu aperto celeriter tabescit, color fit luridus, semper febricitat et universa virium jactura miser moritur, quia saepissime accedente diarrhoea colliquativa vita exstinguitur.

Facillime potest Pyarthrus confundi cum abscessu bursae mucosae, attamen differt ab hoc et ab omnibus extra ligamentum capsulare sitis abscessibus

situ profundo maximaque omnium symptomatum vehementia.

Hydrarthrum cum articuli abscessu commiscere potes. In accumulatione serosa, praesertim si articulum genu tenet, interdum clarissimam fluctuationem animadvertimus. Hic vero parum, vel nihil doloris adest, aegrotus membrum movere et pressionem graviorem ferre potest. Integumenta sunt adstricta et normalia, normalem vitae turgorem exhibent, in abscessu vero laxa et flaccida, etsi nullus locus futuram ruptionem indicat.

Plana lipomata cum Pyarthro non facile possunt permutari. Tumores autem lymphatici in regione articuli, potissimum ubi hi multis musculis circumdantur, difficilius ab Arthropyosi discernuntur, tamen expedite et sine dolore membrum movere sinunt magisque localem, adstrictam subglobosam intumescentiam exhibent, cutis tensior, articulus non aequabiliter expansus apparet. Ad articuli cavum viam sibi aperire et in Arthropyosin transire queunt.

*Fungus haematodes et fungus medullaris* in articulis non minus occurrunt, tumor autem magis unum articuli locum tenet, cutis valde est tensa, tactus tumorem elasticum invenit, minime vero fluctuationem altam.

*Aneurysmata* aeque ac fungus unam articuli partem occupant, locus maxime elevatus ibi semper apparet, ubi expansum ruptumque vas residet.

*Extravasata sanguinis* laesiones articuli immediate excipiunt et postremo in Arthropyosin transire possunt, sed propter subitam originem cum Pyarthro confundi nequeunt.

*Gonarthrocace.* Jam antiquissimi scriptores Rhazes, Avicenna aliique hunc morbum descripserunt sub nomine spinae ventosae, quam Severinus paedarthrocacen ac sequentes auctores tumorem album scrophulosum nominabant. Rust ejus mentionem facit cariei centralis profundae.

Cujus morbi origo atque sedes est structura ossis cellulosa telaque medullaris Blumenbachii; saepe apprehendit morbus tibiae caput, quamquam non potest negari condylos quoque, praecipue condylum internum affici; plerumque invenitur in hominibus scrophulosis, oritur tamen etiam ex inflammatione telae fibrosae. Hic morbus habet stadia quatuor, stadium inflammationis, stadium intumescentiae, stadium ulcerationis, denique stadium eruptionis.

Primum stadium designatur profundo terebrante dolore, qui raro crescit pressione externa atque

concentratus est in substantia ossis finium; saepe exacerbatur sub vesperam et stragulorum calore, efficit noctem inquietam et genu nudato decrescit. Mane aegrotus rigorem atque impeditum motum patitur, qui tamen in membri usu evanescit, deinde saepe lassitudo et gravitas membri animadvertitur. Quae symptomata durare per menses multos et vehementia diversa reverti possunt; attamen crescunt, progrediuntur usque ad pedis articulum et efficiunt in personis irritabilibus affectiones febriles, si malum adhuc dynamicum fit organicum, id est, si in stadium secundum transit et intumescentia articuli finium apparet.

Qui tumor non aequabiliter, ut in tumore albo, super articulum genu totum extenditur, sed respondet ambitui alterutrius condyli, igitur circumscriptus est, affectae parti conformis. Plerumque condylus tibiae internus est sedes intumescentiae atque ceterae ossis partes serius consentiunt; tumor est tactu durus, et potest accurate explorari ejusdem extensio, per partes molles, quae non aliam mutationem organicam quam calorem auctum et venarum intumescentiam ostendunt. Interdum si periosteum praecipue patitur; tactu singulos locos dolentes, pastosos auctamque temperiem reperimus. Una cum in-

tumescentia amplificata crescunt articuli immobilitas, lassitudo et dolores in conatu incedendi, insomnia impotentiaque crus ostendendi; denique morbus transit in stadium tertium seu ulcerationis.

Aegrotus potest non incedere neque crus extendere; dolores intolerabiliter augentur, somnum auferunt efficiuntque virium tabem, partes molles, a quibus articulus circumdatus est, calent, splendent passimque rubent; uno aut pluribus locis cooritur tumor fluctuans, crus macrescit; denique unus vel plures loci aperiuntur, unde fit, ut multum ichoris foetentis, aquosi, specillum argenteum nigrificantis emanet, qua apertione stadium quartum significatur, quod in exitu mali decursum habere potest varium; interdum autem, si sanies secreta in articuli cavum effunditur, vel ulceratio ligamentorum et cartilaginum sequitur gangraenosa destructione articuli totius, qua febris typhosa inducitur, hoc stadium brevissimum celeriter morte finitur.

*Gonarthrocace* confundi potest modo in stadio quarto cum stadio ultimo tumoris albi, quod carie peripherica articuli capitum et eruptione in externum finitur. Si evolvuntur illi morbi, diversissimi sunt; nam causae decursusque variant. Initio jam intumescentia in tumore albo in totum articulum

aequaliter extensa, hydrarthrus semper sequens, dolor in articulum et praesertim in cartilagines progrediens, vehementia major omnium inflammationis symptomatum, quae, ut visus et tactus docent, in partes molles extenduntur; porro degeneratio partium mollium proximarum spongiose se contrectans, sub quibus ossa immutata sentiri possunt; denique transitus in cariem periphericam sunt sufficientia symptomata diagnostica.

*Steatoma aliique tumores*, qui ex articuli finibus progrediuntur praebere possunt, modo, si perfectissimi sunt, forma externa similitudinem cum Gonarthrocace.

*Hydrathrus ὕδραρθρος*, ab *ὕδωρ* et *ἄρθρον*, rectius Hydrarthrum, hydrops articuli, Gelenkwassersucht, Gliedwasser, morbus jam innotuit medicis veteribus. Galenus, Celsus, Paulus Aegineta, praecipue Fallopius ejus mentionem faciunt, attamen sine dubio crediderunt se animadvertere Hydrarthrum, si quis articuli morbus, specie externa illi similis, indole autem plane diversus, exstaret.

Hydrarthrus significat humoris accumulationem in ligamentis capsularibus, qua haec extenduntur ad intumescentiam, quae mollis, circumscripta, digiti pressione recedens, nullam impressionem relin-

quens, distincte fluctuans, parum dolens neque cutem mutans apparet in parte anteriori lateribusque, ubi, si valde augetur, maxime prominet in latere interno, patellae cujusque tendine quasi in partes duas est diffissa seque ad superiorem partem sub femoris musculos potest extendere. Patella prorsum propellitur, valde movetur et evadit, si eam deprimimus, statim in altitudinem pressione remittente; in cruris flexione fit major tensiorque intumescentia in lateribus, in extensione fluctuatio distinctior; articuli motus est parum impeditus.

Plerumque malum lente evolvitur, interdum tamen acutius, quamobrem dividitur in Hydrarthrum acutum et chronicum. Morbus nasci potest ex rheumatica affectione, ex nimia commemoratione in locis humidis praesertim si corporis motio exigua est, sed continua etiam articuli intensione, porro metastasi, corporis mobilibus, quae sunt in articuli cavo, omnino omnibus causis, quae efficiunt, ut membranae synovialis inflammatio provocetur (Lassus Tom. I. pag. 308 seq.).

Quamvis morbus est plane localis, tamen malum causa, quae in corpore humano est, provocari potest. Russel in nonnullis hujusmodi casibus originem syphiliticam, alii scrophulosam habuerunt, sicut Boyer

affirmat morbi causam saepe rheumatismum modo acutum, modo chronicum esse.

Idem morbus differt ab Arthromeningitide, in qua quoque synoviae aucta secretio est, dolore, qui comitatur inflammationem; ab articuli finium passione discernitur eo, quod in hac dolore vehemens, quamvis articuli forma immutata, aegrotum per longum tempus terribilem in modum excruciat aegrotusque sua sponte non potest uti articulo; at in Hydrarthro articuli motus tantopere immutatus est, quantopere synoviae accumulatio augetur.

Extravasata in articulum sanguinea, quae omnino non tam frequentia sunt quam Hydrarthrus, nisi sunt sequelae vehementium laesionum mechanicarum, apparent cum intumescentia pastosa.

In abscessu simplice nunquam febris desideratur vehemens, quam in Hydrarthro rarissime animadvertimus.

Ab tumore albo ita discernimus Hydrarthrum, ut ille tactui pastosus elasticusque appareat, non fluctuet, pallidus sit suaque forma enormis existat, ad se evolvendum longiore utatur tempore, functionemque multo magis impediat. In altioribus gradibus tumor albus invicem inaequalis durusque, cum singulis tumoribus undantibus mixtus est.

Denique ab Hydrarthro distinguitur in bursis mucosis accumulatio sede alteriori, eoque, quod humor ab altero latere ad alterum pelli non potest et in genu non elevatur patella, si pressionem adhibemus in latere utroque.

*Hydrops bursae mucosae*, *Hygroma*, Wassersucht der Schleimbeutel, significat morbum, qui partim hydropi telae cellulosae, articulorum, vaginae ligamentorum appropinquat, quo fit, ut ejus origo illi Hydrarthri, Anasarcae et Ganglii prope affinis sit, partim similis sit tumorum cysticorum formationi, quamobrem non semper clare diagnosci potest; maxime decurrit chronice.

Hydrops bursae mucosae solet inveniri in patella, ubi intumescentia circumscripta, elastica aut fluctuans sine rubore, dolore vel magna articuli laesione reperitur. Per nonnullas hebdomades crescit malum in illis locis pressione frictioneque, quod rheumatismo provocatur; ceterum quoque secretiones suppressae, exanthemata causae esse dicuntur. Longum post tempus cystis concrescit cum cute, quae tum expallescit. Massa cysti inclusa, quae initio est aquae similis, apparet crassa, floccida, flava, melligena, denique gelatinosa, granosa, cartilaginosa et cornui similis. Si intumescentia aperitur, bursa inflam-

matur ac secretio solet adhuc post longius tempus adesse, accipit autem speciem decolorem, pus verum non evacuatur. Si Hydrops bursae mucosae acute oritur, intumescentia formatur paucis horis, a doloribus vehementibus statim comitata, qui semper augentur una cum increscentia tensioneque; simul fluctuat omnibus locis, quo differt ab abscessu; integumentum rubescit ultra tumoris fines, functioque proximi articuli valde impeditur.

Quocum morbo non potest commutari Pseudoerysipelas, quod ruborem obscurum, lividum, duritiem proximarum partium praebet atque inaequaliter plane extenditur.

Cum Hydrarthro potest malum haud facile confundi, quamquam ille plerumque adest, si pressione tumor ad latera utraque patellae prominens ad infimum pellitur atque patella elevatur.

*Fungus articuli* s. *tumor albus articuli*, Gliedschwamm, weisse Gelenkgeschwulst, sive etiam Ancylosis spuria s. Arthrophyma adenochondrium, seu intumescentia massae adiposae glandulosae et cartilaginum articuli, significat degenerationem chronice decurrentem mollium partium articulum circumdantium, ubi ossium peripheria consensualiter corripitur et sequitur perturbatio cariosa eorum sicut ar-

ticuli. Qui morbus apparet omnibus in articulis, praesertim tamen in genu articulo mortem non raro provocans, aut vitam morbosam sustentans.

Quod attinet ad formam externam, quaedam similitudo cum Gonarthrocace negari nequit, quamobrem morbi ambo, quamvis maxime varii, inter se saepe confunduntur, aut habentur tumoris albi formae, dum Gonarthrocace dicebatur tumor albus scrophulosus, hic autem rheumaticus, ut fecit Bell. Denique Rust sententiam tulit, tumorem album scrophulosum ab Bell ita nominatum, plane alium morbum ac diversum esse a rheumatico, quem ipse tumorem album proprie sic dictum seu fungum articuli vocat.

Tumor albus decurrit modo acute, modo chronice, quod pendet ex inflammationis intensitate et extensitate, quae incedit ad articuli ambitum, plerumque membranam capsularem atque cartilagines deligit sedem primariam suam, a quibus transit in ligamenta, tendines membranasque fibrosas. Cujus inflammationis praesentia significat primum stadium morbi.

Ineunte morbo chronico aegrotus sentit gravitatem levemque lassitudinem in articulo, potest minus facile articulum movere quam antea; brevi

tempore oritur dolor rapidus, qui progreditur ultra articulum, augescit stragulorum calore, quietem nocturnam interpellat, articulus debet nudari postremoque symptomata ita augentur, ut aegrotus desideret quietem; singuli loci, praecipue condyli eorumque cartilagines, digiti pressione dolent, temperie aucta sine ulla coloris cutanei mutatione. — In stadio secundo incipit articuli circuitus doloribus ac symptomatis durantibus tumescere; modo intumescentia singulis locis apparet, modo progreditur ad articulum totum ultraque eum, sed non est circumscripta, valde calescens, elastica, nullas digiti impressiones relinquit, spongiosa albaque, singulis locis, qui premuntur, maxime dolens, nitens, aut coloris rubide lividi.

Quia hic tumor nititur non solum in eo, quod proximae partes intumescant atque degeneratio incipiat, sed etiam secretio synoviae augeatur, vario modo sese exhibet. Dolores in hoc statu ad summum gradum evehuntur, aegrotus potest vix pressionem sustinere neque membrum movere, quod curvatum aut potius flexum apparet et macrescit. Quo ex statu, qui potest persistere per aliquot menses ipsosque annos, degenerationis progreditur morbus in stadium tertium. — Loci dolentes fiunt

rubide lividi, molles fluctuantesque, tumor augetur, si oedema accedit, dolores pulsant; febris haud raro jam existit; aegrotus se sentit languidum, incipit macrescere, appetitus ciborum minuitur, denique apparet species hectica; tumor aperitur pluribus in locis, ex quibus multum humoris foetentis atque ichoris sicut sanguis purus effluit. Specillo quoquoversus ductus ipsique loci cariosi in ossium peripheria inveniuntur. Qui status potest secretione aucta, dolore modo crescente, modo desinente, aegroto autem membro uti non valente, persistere per menses ipsosque annos; sed aeger semper magis macrescit, denique moritur.

Morbus, qui decursum obtinet magis acutum, haud raro incipit Arthromeningitide vehemente una cum febri, rheumaticae non dissimili. Omnia symptomata sunt clariora et vehementiora decursusque brevior. Adulti magis quam infantes dicuntur huic formae subjecti.

Idem morbus, ut jam dictum est, habet sedem partibus in mollibus, quae articulum circumdant, degeneratioque primo in tela cellulosa, tum in tendinibus, ligamentis, membranis.

Nicolai debemus gratias quam maximas agere, quod anatomice tales articulos degeneratos variis in

morbi stadiis accurate exploravit. Quo auctore primum stadium dicitur praebere majorem sanguinis copiam, sicut formationem majoris numeri vasorum sanguiferorum; tela cellulosa impleta erat lympha, albide subflava, plerumque coagulata, aliae telae nihil aliud ostendebant nisi majorem sanguinis copiam. — In secundo stadio fit, ut massa impleta appareat magis fixa, coagulo similis, lardo aequalis consistentia atque striis albis perstricta sit, quae vasa clausura habentur. Vasa compellunt singulis locis maculas rubras, quibus appropinquantibus observatur massa mollis, coerulea caseosa. In stadio tertio inveniebantur non tantum mutatio coloris cutanei: ulcera fistulosa oedemaque, sed etiam in tela cellulosa humor fuscus, sanguineus, substantia organica non soluta, tendines, ligamenta et periosteum massa caseosa, lurida, molli obductum; membrana capsularis spissata, mollita et rubefacta; fistulae per massam luridam decurrentes, cute vasis copiosa obductae et usque ad ossis superficiem extensae, quae nudata atque cariosa est. Arteriae erant conclusae, venae autem valde extensae.

Occurrunt nonnulli articulorum morbi, qui tumorem album magis minusve simulare possunt, ergo ab eo debent dignosci.

Differentiam hujus morbi a Gonarthrocace et Hydrarthro jam supra commemoravimus, quamobrem dignosci amplius non necesse esset, nisi Arthromeningitis, quae habet sedem in membrana synoviali, et Arthropyosis possent confundi cum tumore albo; illud quidem malum multum ab hoc differt. Inflammatio variis vehementiae gradibus manifestari potest, articuli functio turbatur, aegrotus dolorem motu ac pressione auctum patitur; febris inflammatoria rarius deficit; intumescentia producitur eo, quod, copia synoviae majore secreta, membrana synovialis extenditur, quapropter tumor non solum magis limitatus et circumscriptus est quam tumor albus, verum etiam in diversis artubus vario modo formatur. Fluctuatio haud perspicue animadvertitur. Tumor autem primo hujus morbi tempore nondum adest, sed serius existit. Saepe etiam evenit, ut articulus loco affecto proximus simul dolere incipiat, simili modo ut in Arthrocace.

Arthropyosis est inflammationis exitus, dolor existit vehemens, qui pressione aut motu augescit, tumor fluctuans et integumenta articuli frigent ac flavescunt.

Sanguinis effusioni intra articulum vis externa praecedit, unde potest non facile confundi.

Corpora seu concrementa fibrosa seu cartilaginea articulorum, Arthronci tuberculosi (Swediaur), sunt corpuscula cartilaginea vel ossea, soluta vel pendentia ad membranam synovialem, quae membri usum impediunt. Plerumque efficiunt loco mutato dolores, qui subito incipiunt, quibus membri functio statim inhibetur aegrotoque necessitas articulo parcendi imponitur, quo facto dolores depelluntur; doloris locus interdum est semper idem. Corpuscula facile sentiuntur sub articuli ligamentis tamquam corpus magnitudinis pisi vel amygdalae mobile, quod quidem se statim subducit digito investiganti, situm saepenumero mutat ac potest pressione aut quibusdam motibus ad articuli regionem aliquam adpelli, raro est fixum. Interdum corpus subito effugit plures per menses nullamque molestiam aegrotus sentit; at articulo celeriter vehementerque extense dolor, ut Desault testatur, reducitur. Si plurima corpuscula adsunt, conatu articulum movendi crepitus cooritur fragori similis, quasi cartilaginum aut ossium partes tererentur, quam sententiam Guenther protulit.

Plerumque symptomata magis minusve elucentia articuli irritati vel inflammati soleant praecedere; articulus est paululum tumidus, frigore, pressione motuque sensibilis, debilior atque doloribus rheu-

maticis affectus. Saepissime corpuscula in genu, ubi sentiuntur in latere superiori externo, tamen etiam premi possunt sub patellam contra condylum internum. Aegrotus debet in flexione dimidia crus habere, si plura adsunt, paulum claudicat pedemque recte provideque ponit in fundo; conatus standi atque eundi adducit molestias, potestque fieri impossibilis.

Causae sunt contusio vel intensio continua, aut praegressi dolores rheumatici genu articuli.

Quaecumque sententiae de origine corpusculorum propositae sunt, opinio Laennecii, corpuscula in superficie externa membranae synovialis oriri atque, dum paulatim pellantur in articuli cavitatem, post se trahere membranam synovialem, maxima gaudet auctoritate.

Confusio symptomatum cum doloribus articuli rheumaticis atque arthriticis haud facile committitur, quia dolores, quos articuli corpora movent, motibus quibusdam subito apparent, et quiete observata aut alio motu facto aeque celeriter evanescunt. Denique corpus mobile clare sentiri et moveri loco potest. Ossificatio ligamenti articuli est plurimis in casibus latior, planior neque mutat locum neque molestiam parat.

# LITERATURA.


Russel, über die Krankheiten des Kniegelenks. Aus dem Engl. übersetzt v. Goldhagen. Halle 1817.

J. G. Widdmann, de genuum structura eorumque morbis. Helmstad. 1744.

H. Park, an account of an new method of treating diseases of the joints of the knee and the elbow. London 1783.

E. Ford, Anmerkungen über Krankheiten des Hüftgelenks, über weiſse Kniegeschwulst etc., aus dem Engl. Breslau 1795. 8. m. K.

Doerner, de gravioribus quibusdam cartilaginum mutationibus. Tübing. 1798. 8.

Goetz, de morbis ligamentorum. Berol. 1794.

J. W. Rust, Arthrokakologie. Wien 1817. 4.

— — Handbuch der Chirurgie. Bd. 2. S. 325.

Schreger, chirurgische Versuche. Bd. II; dessen Beiträge zur Nosologie der Gelenkkrankheiten. Nürnberg 1818. 8.

Brodie, chirurgische Beobachtungen der Krankheiten der Gelenke. Aus dem Engl. von Holscher. Hannover 1821.

B. Bell, Abhandlung von den Geschwüren. Aus dem Engl. Leipzig 1779.

Richerand, Nosographie chirurgicale. 1815. Tom. III. pag. 235.

K. G. Schmalz, Versuch einer medicinisch-chirurgischen Diagnostik in Tabellen.

Swediaur, traité complet sur les symptomes; les effets, la nature et le traitement des maladies syphilitiques. 4me édit. Tom. I. p. 200.

J. F. Boettcher's Abhandlung von den Krankheiten der Knochen, Knorpel und Sehnen. 3. Theil. Königsberg und Leipzig 1793. P. 120—124.

Boyer, in: Traité des maladies chirurgicales etc. T. III. 3me édit. Paris 1822. pag. 573, und die gleichlautende Abhandlung im: Dictionnaire des sciences médicales. T. LII. p. 309—320.

Reimarus, Diss. de tumore ligamentorum circa articulos, fungo articulorum dicto. Lugd. 1756.

Jaeger, Handwörterbuch der gesammten Chirurgie. Leipzig 1838. Bd. III.

Schreger, Beobachtungen und Bemerkungen über die beweglichen Concremente in den Gelenken und ihre Exstirpation. Erlangen 1815.

Cruveilhier, Anatomie patholog. Paris 1816.

v. Walther, Journal für Chirurgie. Bd. IV.

Blasius, klinisch-chirurgische Bemerkungen. Halle 1832.

# VITA.

Patre Carolo, matre Florentina e gente Damerow ego Fridericus Carolus Harenberg die XXV. m. Decembris a. MDCCCXXII Sedini natus et confessioni evangelicae addictus sum. Matrem optimam, cujus obitum usque ad cineres lugebo, invidum fatum mihi eripuit, patre vero adhuc sospite sincere gaudeo. Litterarum rudimentis cum in scholis publicis tum privatis imbutus, Gymnasium Sedinense, quod tunc directore doctissimo Hasselbach florebat, frequentavi. Ibi per octo annos a praeceptoribus carissimis summeque colendis artibus et litteris, quae ad altiora studia viam aperiunt, eruditus ac testimonio maturitatis ornatus Berolinum me contuli. Mense Majo a. MDCCCXLIV civium academicorum numero ab Ill. Lachmann, t. t. Rectore Magnifico, ab Ill. Busch, t. t. Decano spectatissimo, medicinae studiosis adscriptus sum. Per octo integra semestria hisce interfui lectionibus:

Cel. Michelet de logice; Cel. Beneke de psychologia; Ill. Kunth de botanice; Ill. Mitscherlich de chemia; Ill. Dove de physice et meteorologia; Ill. Hecker de encyclopaedia medica et de historia medicinae; Ill. Weifs de mineralogia; Ill. Lichtenstein de zoologia; Ill. Schlemm de osteologia et syndesmologia et splanchnologia; Ill. Mueller de anatomia corporis

humani, de sensuum organis, de physiologia, de anatomia comparata, qui idem et Ill. Schlemm in arte cadavera rite secandi duces mihi fuerunt; Exp. Simon de pathologia et therapia generali; Exp. Dann de pathologia et therapia speciali; Exp. Ascherson de chirurgia et de fasciis rite applicandis; Exp. Ebert de infantium morbis; Exp. Schoeller de arte obstetricia.

Exercitationibus clinicis interfui et medicis et chirurgicis et ophthalmiatricis, atque obstetriciis et syphiliticis Ill. Juengken, Ill. Schoenlein, Cel. Wolff, Ill. Schmidt, Cel. Truestedt.

Omnibus viris illustrissimis et clarissimis summas, quas possum imo ex pectore ago gratias, nec unquam eorum memoriam tempus delere valebit.

Jam vero tentaminibus, et philosophico et medico, nec minus examine rigorose coram gratioso medicorum ordine rite superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

# THESES.

1. Mercurium in morbis syphiliticis curandis rejiciendum censeo.
2. Sedes doloris non semper sedes morbi.
3. Signum virginitatis certum nullum est.
4. Certum graviditatis signum non exstat.